Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

est natura delectissima et est natura virtuosissima
Primo quia inter corporalia sicut gratia inter spiritualia
est sine accidentia et sine resistencia usque
ad rerum intima penetrativa Unde lux pene-
trat usque ad terre intima et gratia usque ad hu-
mana precordia. Secundo lux est rerum generativa
Sicut de sole dictum est supra. Tercio est contrariorum
generativa conciliativa et hoc exemplificatum
supra. Quarto est sui liberalis communicativa quia gratia
omnibus se offert quantum in se est. Quinto est devi-
ancium sive errancium iudicativa sive directiva
Quod apte facit hec gratia que est ad semitam iusticie
reductiva. Sexto est frigidorum inflammativa
Sic explanatum est de sole supra. Septimo est debilium
confortativa Unde multum confirmantur infirmi
dum audiunt diem fieri et similiter nocte gravati
plurimum confortantur dum eos gratia visitat. Octa-
vo est grossiorum subtiliativa Unde acrem subtiliat
sicut gratia divites expoliat quos movet ad e-
lemosinas dandas. Nono est durorum liquefactiva
sicut patet in cera et in aqua congelata Sic gratia
dissolvit ad misericordiam corda dura. Decimo
est vite corporalis et permanencium vegetativa Sic
et gratia vite spiritualis est deductiva. Undecimo
est occultorum manifestativa quia spiritualis gratia
igitur omnia facit manifestare peccata que prius e-
rant occulta posset dici per alia verba quod lux corporaliter
sicut gratia spiritualiter Primo tenebras pellit
Secundo merores dissolvit sive leticiam tribuit Ter-
cio insidias prodit. Quarto securitatem parit quia
qui ambulat in die pedem ad petram non per-
cutit. Quinto iustis pascit et illi quandam iocun-
ditatem inducit. Sexto rebus omnibus pulchritudinem
tribuit et quid sint apparere facit quia quilibet prius
quamvis apud se lateat et quanta pulchritudine
clareat gratia fortitudinis in adversis hoc probat.